



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. An ex Meritis Christi B. Virgo meruerit circumstantiam
Maternitatis: & an cæteri Progenitores Christi circumstantiam Stirpis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CONTROVERSIA II.

An ex meritis Christi Beatissima Virgo meruerit circumstantiam Maternitatis : & an ceteri progenitores Christi circumstantiam Stirpis.

§. I.

Vtrum B. V. promeruerit Maternitatem de Condigno.

Affirmasse videntur Marsilius & S. Bonavent. apud Suarez. Fundamentum affirmandi erant locutiones Patrum, quibus B. Virgo pronuntiatur digna fuisse, quæ Mater fieret Filij Dei. Sic etiam Ecclesia in quadam oratione canit. *Vi dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu S. cooperante preparasti.* Hæc sententia, quamvis communiter rejiciatur, inspecto verborum tenore quibus proponitur, si tamen mens Authorum attendatur, potest verum sensum habere. Pro quo

342. Advertendum est id, quod obiter adverterunt Suarez & Vasquez, esse magnum discrimen inter hæc duo: *Maternitatem de condigno mereri*: & *habere in se dotes qualificantes, quibus talis persona digna reddatur assumi in Matrem Dei*: hæc duo sunt ab invicem separabilia. Sæpè enim aliquis absque omni merito propriè dicto, est dignus assumi ad aliquam excellentiam: v. g. si alicui adolescenti propter natales confertur aliqua dignitas Ecclesiastica, nullo præcedente actu meritatorio. Ratio est, quia Meritum de condigno movet liberalitatem Remunerantis, Idoneitas vero seu dignitas movet Providentiam & Justitiam Gubernatricem.

Imò quod ampliùs est, potest alicui antecederet non solum ad omne Meritum, sed etiam ad omnem Idoneitatem seu Dignitatem decerni & conferri aliqua excellentia seu prærogativa, hac intentione, ut postea primum se reddat illi dignum: sic potest alicui necdum presbytero conferri Beneficium curatum, qui tamen post acceptum Beneficium debet suscipere præbyteratum, & sic se dignum reddere. Sic posset vir Nobilis adoptare filium pauperem, qui deinde redderet se dignum tali adoptione. Sic S. Matheus assumptus est ad Apostolatam, & post assumptionem se dignum reddidit. sic Zachæus assumptus est in familiaritatem Christi, & post assumptionem se dignum reddidit. Nunc

343. DICO 1. Beatissima Virgo non meruit Maternitatem de condigno. Probatur. Nam merita B. Virginis fuerunt condignè præmiata Gratiâ sanctificante, quam per omnia sua merita auxit: ergo quicquid ultra illam accepit, erat ultra condignum: ergo & Maternitas.

344. DICO 2. Beatissima Virgo fuit condignè disposita, seu dispositivè digna, dignèque

pium efficiens, sed principium formale & constitutivum operis in ratione digni tali premio, & hoc ad minimum volunt Theologi cum S. Thoma, quando negant, principium meriti posse cadere sub Merito. In hoc etiam sensu dixit S. Augustinus c. 25. de Moribus Eccles. Cathol. quòd præmiu non possit præcedere meritum, & prius homini dari quàm dignus est: nempe quia dignitas operis debet esse distincta à premio.

Vtrum autem possit vnio hypostatica cadere sub Merito compensativum de congruo, est major ratio dubitandi. Affirmat Raynaudus, contra quem

340. DICO 4. Repugnat, Vnionem hypostaticam esse præmiu de congruo Meritorum Christi. Probo Conclusionem. Vel enim consideramus actum Christi meritorium præcisè secundum se, vel prout dignificatum à Verbo: in neutra consideratione potest mereri vnionem hypostaticam de congruo. Non quidem in prima acceptione: quia non potest taxari præmiu de congruo, nisi præsupponatur status Personæ ejusque conditio, cum qua debet habere proportionem etiam præmiu de congruo, nam quod respectu inferioris habet rationem meriti de congruo, in superiore posset habere rationem meriti de condigno, & quod respectu superioris est præmiu de congruo, respectu inferioris propter nimium excessum nullam habebit proportionem, nec poterit esse præmiu de congruo, ut superioris notavi, ergo non potest taxari præmiu determinatum de congruo cum præcisione à dignitate Personæ. Sed neque in secunda consideratione potest habere rationem meriti de congruo. Nam respectu operum Christi ut dignificatorum, nullum est excogitabile præmiu de congruo: cum enim sint infiniti Valoris, merentur de condigno omne præmiu excogitabile: ergo nullum potest illis quæ talibus dari præmiu de congruo, quia hoc deberet esse majus, quàm præmiu de condigno.

341. DICO 5. Antiqui Patres, qui præcesserunt tempore Christum, ne quidem de congruo promeruerunt substantiam Incarnationis, ita ut defacto illam in præmiu acceperint. Ita communis contra Suarez. Probari posset Conclusio ex improportione talis præmij cum puro homine, sed hoc prætermisso, probatur melius ex eo, quia ut dicemus, omnia dona supernaturalia antiquorum fuerunt præmia Meritorum Christi: sed merita Christi ut condigna, constituuntur formaliter per vnionem hypostaticam, ut dictum est: ergo merita antiquorum Patrum fuerunt præmia Meritorum Christi, ut includentium vnionem hypostaticam: ergo ipsa Vnio non fuit præmiu Meritorum antiquorum PP. quia non possunt sibi duo esse mutuo præmia.

••••• (o) •••••

que preparata, quæ assumeretur in Matrem Dei. Conclusionem firmant locutiones Patrum & Ecclesiarum, & est res indubitata inter Catholicos. Fuit enim tam quoad corpus quam quoad animam mundissima, non solum ab omni culpa actuali & personali, sed etiam originali, ornata in supergratiâ sanctificante supra omnes alias puras creaturas. Porro hanc ipsam summam dignitatem partim accepit ex merissima liberalitate Dei, ut immunitatem ab originali labe, & similia, partim promerita est de condigno, quatenus condignè promerita est augmentum Gratiæ in immensum. denique per ipsos actus virtutum etiam formaliter se dignificavit.

§. II.

Utrum B. V. meruerit Maternitatem de Congruo. Proponitur difficultas & sententia admittens tantum meritum Dispositivum.

Difficultas consistit in hoc. Videtur esse inevitabilis mutua causalitas inter merita Christi & merita B. Virginis, quibus promeruisse Maternitatem. Nam si B. Virgo promeruit Maternitatem, illud meritum erat utique prius naturâ, quam esset Maternitas seu influxus quem Mater præstat generationi, & à quo denominatur Mater seu Causa Filij: ergo illud meritum erat etiam prius naturâ omni illo, quod est posterius Maternitate: atqui ipsa Incarnatio seu existentia Christi est posterior, utpote effectus illius influxus; & deinde ipsa merita Christi sunt posteriora Incarnatione: ergo à primo ad ultimum, meritum B. Virginis, quo promeruisse Maternitatem, fuisset prius naturâ omnibus meritis Christi. Econtra saltem aliquod meritum Christi debet fuisse prius naturâ omnibus meritis B. Virginis: nam omnia merita B. Virginis sunt naturâ posteriora gratijs prævenientibus supernaturalibus: atqui meritum Christi debet esse prius naturâ his gratijs, nam omnia dona supernaturalia antiquorum Patrum sunt præmium meritum Christi: ergo à primo ad ultimum, aliquod meritum Christi est prius naturâ illo merito, quo B. Virgo meruisse Maternitatem: ergo daretur mutua causalitas.

Prima Sententia admittit in meritis Christi prioritatem naturæ ad omnia merita B. Virginis, cæterorumque progenitorum, sed negat, merita B. Virginis & cæterorum habuisse prioritatem naturæ ad merita Christi, quia negat habuisse prioritatem naturæ ad ipsam Maternitatem, ac per consequens negat, quod B. Virgo meruerit Maternitatem merito impetratorio, cui respondeat præmium, & vult, quod eandem solummodo meruerit merito Dispositivo, suprâ explicato, nempe quo se dignam reddidit, quæ in Matrem assumetur.

345. Docet ergo hæc Sententia primò: quod Deus omnes causas physicas ita ordinaverit ad existentiam Christi, ejusque conservatio-

nem perpetuam, sicut connaturaliter existeret habere prioritatem & posterioritatem inter se, ac proinde, quod Christus nullo inquam instanti existeret independens omnino ab instanti instanti progenitorum. Docet 2. Quod inter causas physicas nullus fuerit actus supernaturalis, & quod nulla causalitas physica procederet ad actum supernaturali progenitorum Christi. Docet tertio, quod merita Christi fuerint præmerita omnibus donis supernaturalibus solum progenitorum, utpote quæ in præmium essent condita, tempore quidem prius, sed naturâ posteriora meritis Christi.

Hanc Sententiam paucis insinuat Pappus q. 2. dub. 5. n. 151. eandem defendit P. Vindigius d. 10. dub. 8. n. 75. ubi expressè trahit seriem progenitorum non esse ex meritis Christi. Denique magis ex professo eam propugnat Mart. Esparza. Parum abest ab ea P. Comptonus d. 47. n. 11. dicens, in primo signo prædictum tam fuisse B. Virginem in ætate jam adultæ potest concipiendæ aptam, & existentem per actionem à solo Deo procedentem (ad eum modum quo Lugo loquitur de Christo, ut postea referemus) & in eo instanti decrevisse Deum cum B. Virgine currere ad Christi humanitatem. Deinde censens animam Christi unita corpori & Verbo, soluit se ad mortem: per quam oblationem capere gratiam matri meriti, & toti humano generi unde in illo instanti prius erat Mater, quam ut gratiam, vel ullum actum meritum haberet: postquam verò electa est in Matrem, disposita ut esset digna Mater Dei: quæ dispositio erat naturâ consequentes Maternitatem. Ita Comptonus, citans Ragulam & Prapositionem.

346. Fuit hæc Sententia à Recentioribus in Germania acriter impugnata, quod illud maxime punctum, quod Existentiâ Christi dependens ab ejusdem progenitoribus, fuerit deducta per causas merè naturales, sine interveniendi aliorum supernaturalium, quæ reipsâ in Christum influxerint physice aut moraliter. Hoc enim volebatur non posse coherere cum multis historiis quæ in S. Scriptura narrantur. Primò vita Isaac bene conservata ab Angelo, inhibente ictum Abrahæmi dependenter ab actu supernaturali, quo Abraham illum ictum imperabat ex obedientia: ergo jam aliqua causa moralis supernaturalis intervenit inter causas Christi. Secundò Isaac deprecatus est Deum pro vxore sua, eò quod esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebecca, unde natus est Jacob, ex quo descendit Christus: ergo preces supernaturales influxerunt in Christum.

Tertiò. Rahab meretrix, & proavia Christi, fuit conservata dependenter à fide supernaturali, ex qua excepit exploratores. Quare Elias oratione supernaturali impetravit progeniem vitæ, & postea genuit Manassæ, progenitorem Christi. Quintò Abraham fuit obedientia meruit esse progenitor Genes. 22. Quia

fecisti hanc rem, benedicuntur in semine tuo &c. Sexto, Progenitores Christi utique ex aliquo actu Supernaturali potuerunt operam dare generationi & copula, ex qua Christus descendit.

Septimo, Christus in primo instanti suae existentiae utique supposuit pro priori naturae suos progenitores, ut habentes Signaculum Fidei, ut genitos ex Legitimo Matrimonio, secundum Legem Moysi.

347. Haec omnia, & similia plura, quae molestiae vitanda gratia praetermitto, merito obijciuntur huic sententiae, & mirantur multi, ea fuisse ab hujus sententiae patronis dissimulata. Ceterum quod olim dixi nunc iterum dico, posse his omnibus responsionem adhiberi, si semel concedatur, ut hactenus communiter in hoc puncto supponebatur, nempe, aliquid tempore & executione posterius, posse à Deo ita decerni & ordinari, ut sit Naturae prius illo, quod est tempore prius. Hoc, inquam, possibili supposito (quod ego infra negabo esse possibile) potest ad omnia allata responsio adhiberi, non aliter impugnabilis, quam tribus verbis: *Hoc durum est; Repugnat communi sensui.* Ut proinde tandem inter Authores tota quaestio eò recideret, quodnam prae altero sit magis durum, v. g. an magis durum sit, Deum pro priori Naturae conservasse organa Isaac, & pro posteriori Naturae inhibuisse idem Abrahami, quam durum sit, pro priori Naturae Christum fuisse virum anno Tiberij decimo septimo, & pro posteriori Naturae, sed triginta tribus annis prius fuisse infantem, ut vult sententia illorum RR. qui hanc impugnarunt, & paulò post referetur.

348. Aliud argumentum proponi solet contra relata sententiam, cui dicuntur aliquando adeo cessisse illius patroni, ut mutuam causalitatem admiserint. Desumitur argumentum ex verbis MARIAE ad Angelum: *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* quibus verbis B. Virgo ex communi Patrum & fidelium sensu praeiuit consensum ut fieret Mater: Consensus autem utique fuit prior effectu in quem consentit, & qui futurus non fuisset, si B. V. non consensisset. Vnde S. Bernardus dixit, quòd sicut per primum *Fiat*, factus est mundus, ita per secundum *Fiat*, sit reparatus. Ad hoc argumentum responderi posset, negando quòd ille consensus fuerit prior Naturae ad Incarnationem. Et quidem quòd attinet ad auctoritatem S. Bernardi, ea potius stat pro nobis; nam teste Maldonato S. Bernardus, securus S. Hieronymum, fuit in ea sententia, quòd B. Virgo conceperit, antequam salutaretur ab Angelo; ergo ex mente S. Bernardi non expectabatur consensus. Deinde, Angelus non conditionare, sed absolute affirmavit futuram conceptionem, dicens: *Invenisti enim gratiam &c. Ecce concipies.* Et B. Virgo credidit Angelo, teste S. Elisabetha: *Beata quae credidisti.* credidit autem absolute futurum, & non sub conditione: si ipsa consentiret. Porro illa fides praecessit verba B. Virginis,

Ecce ancilla. ut tradit S. Ambrosius lib. 2. in Lucam: *Hodie*, inquit, *primum auditur & creditur; deinde: ecce ancilla.* Dici ergo potest consensum illum fuisse potius conformitatem cum voluntate divina,

§. III.

Refertur sententia constituens Christum in Statu independente à suis Progenitoribus.

349. Card. de Lugo, quem sequitur Arriaga, ut defenderet in Progenitoribus Meritum Impetratorium Stirpis, hoc est, tale Meritum, quod cum vera prioritate Naturae praecederet generationem Christi, sic philosophatur. [Facilius, inquit, dici potest, Christum praevissum fuisse tempore passionis cum suo Merito, saltem cum aliquo actu efficaci, acceptante ex se Mortem à Patre injectam, si à Judaeis inferatur, & per hoc Meruisse Gratiā progenitoribus & Virgini. postea verò Patres & B. V. praevidentur mereri fieri Christi progenitores: non enim repugnat id quod nunc est causa, esse postea pro alio tempore effectum respectu ejusdem, dummodo non detur mutua dependentia pro eodem instanti.] Haec Lugo. Alij hanc sententiam paulò distinctius sic proponunt. Ponitur Christus instanti aliquo circa tempus mortis, prorsus independens ab omnibus causis secundis, tantum praesupposito peccato Adami, & illis quae in istud influxerunt: ut proinde Christus in eo statu existeret dependenter à solo Deo, instar Adami in paradiso formati. Christo sic constituto proponitur mors subeunda cum omni sua arduitate quam Christus liberè acceptat. & per eam acceptationem meretur, ut Deus intuitu illius statim retrogrediendo ordinet omnes gratias post lapsum Adami, atque illas etiam singulariter, quae influxerunt in ejusmodi Incarnationem in vero Virginis ponendam: atque ita positus ut Vir meretur ut sit infans, puer, juvenis.

Hanc sententiam impugnarunt Successores Lugonis in Theologica Cathedra Collegij Romani, & imprimis eam impugnavit Cardin. Pallavicinus n. 7. [Ex hac doctrina, inquit, sequeretur, Virginem & antiquos Patres nullum habuisse influxum in redemptionem generis humani, quippe quae facta est in Cruce, solvendo pretium peccati pro omnibus simul.]

Ad hoc responderet Card. de Lugo, satis esse, quòd influxerint in aliqua merita Christi, quae praecesserunt illum statum miraculosum.

350. Contra hoc tamen virgeri & instaurari potest argumentum hoc modo. B. Virgo secundum hujus sententiae patronos, non fuit redempta (eo modo quo redempta est, nempe praeservativè, collatā Gratiā Sanctificante in primo instanti conceptionis) non, inquam, fuit redempta ex meritis Christi pendentibus ab ipsa Virgine, sed tantum ex merito illius statūs independentis:

T t t

ergo

ergo B. Virgo saltem non fuit Instrumentum Redemptionis propriæ, nec etiam Redemptionis omnium progenitorum Christi. ergo non rectè dicitur instrumentum redemptionis generis humani, quod tamen dicendum est: cum in Symbolo Nicæno dicatur Christus propter homines incarnatus esse ex Maria Virgine: & Ecclesia canat: *Quod Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine. vitam datam per Virginem gentes redemptæ plaudite.* Præterea, si vnum opus Christi defacto acceptatum est pro redemptione progenitorum & B. Virginis, non est Ratio, quare non etiam, præcisè reliquis meritis, fuerit acceptatum pro toto genere humano: ergo in illo statu miraculoso jam intelligitur sufficienter redemptum genus humanum: ergo influxus B. Virginis in reliqua merita tempore quidem priora, sed naturā posteriora (vt isti AA. volunt) non aliter poterit dici servivisse ad redimendum genus humanum, quàm si quis post extinctum sufficienter incendiū, vellet affundere aquam pro abundantia.

Uterius vrget Lugonem Pallavicinus hoc modo. Sequeretur, Christum non potuisse tempore passionis nisi valde improprie dicere: *Mulier ecce! filius tuus.* quia secundum vitam & durationem quam habebat tunc, non erat filius illius, sed independens ab illa, & ipsa non poterat nisi ex errore lugere mortem illius tanquam proprii filij, quoniam pro eo instanti non intelligebatur illius filius, sed potius dabat operam, vt evaderet ejus filius respectu temporis antecedentis. Ex quo rursus fit, totam existentiam quam Christus habuit postea, & quam habet nunc in celo, esse etiam mediatè independentem à Virgine, siquidem existentia posterior non pender à priore mediata, nisi per mediatam. Hæc Pallavicinus, quæ non vacat discutere quàm efficacia sint, cum fiat quasi de modo loquendi & compellendi filium. Et facile aliquis responderet, Christum non appellasse se pro tunc filium B. Virginis, sed designasse S. Joannem, nec B. Virginem vocasse Matrem sed Mulierem.

357. P. Martinus Esparza paulò concitatiùs in sententiam Lugonis invehitur q. 19. his verbis. [Hæc nihilominus tota dispositio rationis nostræ & qualiscunque præcisionis tota evanescit, cum ventum est ad realitatem objectivam, hoc est, cum jam consideratur Christus eliciens actum, quo meruit auxilia Gratia Patribus antiquis. Quia tunc pro priori Naturæ, antequam mereatur, & velit inducere tale premium, præsupponitur jam habens determinatam durationem, determinatam ubi, & stirpem determinatam. Nec potest nisi absurdissimè admitti, Christum cogitantem de eliciendo opere meritorio non advertisse pro priori naturæ, Vbinam gentium esset, quo sæculo viveret, quam Matrem haberet, quos avos, atque de his expresse cogitasse, vt obtinendis per suum meritum, nec tamen eam cogitationem pervenisse vsque ad individuationes rerum, quas nemo est tam stultus & hebes, vt non discernat

in individuo. Deinde addit, hinc clare appere, Miraculum fingi deforme ac indecens hominem Deum.

§. IV.

Præcedentium Sententiarum fundamentum seu suppositum, falsum esse monstratur.

Vtraque Sententia hætenus relata supponit se aliquid tempore posterius, esse prius illi, quod est tempore prius. Contra hoc

352. DICO, prioritatem temporis cum posterioritate naturæ, vel e contra, prioritatem naturæ cum posterioritate temporis, repugnat. Hanc Conclusionem supponit S. Thomas 2. 2. 62. a. 6. in C. ubi assignans rationem, quare sacramenta antiquæ legis non potuerint causare gratiam ex virtute passionis Christi, licet ea causant sacramenta novæ legis, ita discursit. [Illum quod nondum est in rerum natura, non movet secundum vsum exteriorum rerum: (tempus Sacramentorum) vnde causa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, licet causa finalis: sic ergo manifestum est, quod à Passionis Christi, quæ est causa humane justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa sacramenta novæ legis, non autem ad Sacramenta veteris legis.] Legatur totus articulus, & apparebit, quod secundum S. Thomam Christus nec habuerit, nec habere poterit aliam prioritatem respectu donorum præcedentium tempore, quam prioritatem finis, objectivè existentis in fine antiquorum.

Probo Conclusionem 1. Quandoque ex duabus durationibus diversæ classis, vna est prior naturā alterā, tunc illa (& aliter esse non potest) est prior naturā, quæ est tempore effluenter prior. atqui duratio Christi in ætate virili, & duratio ejusdem in ætate infantili, sunt diversæ classis: & defacto vna earum est naturā priorior: ergo duratio infantilis est prior naturā duratione ætatis virilis. Sublimo, sed non potest dari mutua prioritas: ergo duratio virilis ætatis non potest esse prior duratione ætatis infantilis. Applicetur argumentum etiam ad durationem meritorum Christi & Progenitorum, & concludetur, merita Christi non potuisse habere prioritatem naturæ respectu meritorum antiquorum seu Progenitorum. Sola major est probatio. Omne quod est prius naturā altero, ordinatur ad alterum ponendum tanquam medium ad finem, sive proximum, sive remotum, sive vltimum, sive intermedium: sed ex durationibus diversæ classis sola illa potest esse medium ad alteram, quæ est tempore prior: ergo sola illa potest esse naturā prior, quæ est tempore prior. Major est probatio Minor probatur: suppono autem illud esse philosophicum certissimum: finis est promovere intentione, & vltimum in executione. Scilicet est, quod si inter finem & media sit necessitas

cessio temporis, finis ponetur in executione post medium, & medium ponetur tempore prius. Jam sic. Illa duratio quæ est finis respectu alterius, erit tempore posterior: sed illa duratio quæ est Naturæ posterior, est finis respectu illius quæ est Naturæ prior, & hæc est medium ad illam: ergo illa erit etiam Naturæ posterior, quæ est posterior tempore, & illa erit tempore prior, quæ est Naturæ prior. Ergo à primo ad ultimum, impossibile est, durationem tempore priorem esse posteriorem Naturæ illà duratione, quæ est tempore posterior.

353. Argumentor 2. Quandocunque aliquis effectus existit, tunc est verum dicere: *Exiit extra omnes suas causas*, ergo etiam est verum dicere: *Existerunt omnes illius causas*. hoc enim significat illud: *Extra*. Non potest enim effectus exire ex aliquo non existente, vel in se, vel in aliquo sui: ergo omnes causas, exceptâ semper finali, debent existisse, quando verum est dicere: *Effectus existit*. & hoc est de conceptu causæ & effectus. Jam sic: atqui tempore infantie Christi non poterat cum veritate dici: *Exiit statura virilis septem pedes longa, habens barbam &c.* ergo hæc non poterat esse causâ infantie, quis enim non risisset dicentem de Christo in cunis jacente: *hic infans fuit vir*. Neque dicas in sensu morali illas propositiones fuisse veras: hæc enim est negatio vocabularia. quid intelligis per *in moraliter existere virum*? an existisse intentionaliter, & in decreto? atqui hoc modo fateor existisse virilitatem, sed nego hoc sufficere ad prioritatem Naturæ illius quod existit intentionaliter: alioquin si hoc sufficeret, omnis finis esset prior Naturæ Medijs, & sic daretur Mutua prioritas. An fortassis intelligis per *in moraliter*, quoddam futuritio seu forma denominans futurum, jam existerit, nempe Decretum Dei? atqui hac ratione non solum omnis finis, sed quidquid deinceps futurum est, esset prius Naturæ rebus nunc existentibus: quia pro priori nature existiteorum futuritio. Vides ergo quoddam in nullo sensu possit statura virilis Christi existisse tunc, quando Christus fuit infans, tali inquam existentia, quæ sufficiat ad prioritatem Naturæ & Causæ non Finalis.

354. Argumentor 3. Existere prius Naturâ, & existere prius tempore, conveniunt in hoc prædicato generico; *Existere prius*. item: existere posterius tempore, & posterius Naturâ, conveniunt in *in existere posterius*. Jam sic. illud quod est tempore posterius, non potest simpliciter dici *existere prius altero*: ergo non potest esse prius Naturâ ad aliquod tempore prius: cui enim non convenit genus, non potest convenire species. Antecedens probatur. Quod est tempore posterius, rectissime & simpliciter dicitur esse posterius; ergo non potest simpliciter dici prius: implicat enim duo prædicata opposita simpliciter eidem convenire: atqui esse simpliciter prius, & simpliciter posterius, sunt prædicata opposita. ergo non

possunt eidem convenire: convenirent autem, si id quod est tempore posterius, esset Naturâ prius. Ergo &c. Tradideram hæc anno 1665. quæ deinde aliquot Philosophiæ Professores continuâ serie amplexi sunt, magisque illustrarunt, neque hæcenus audivi aliquid objici quod speciali solutione indigeret.

355. Queret aliquis. Si Christus non habet prioritatem Naturæ, quomodo ergo intelligendus est Apostolus ad Hebr. 1. dicens de Christo: *Per quem fecit & sæcula*. &c. Ex hoc loco nihil probari, etiam si intelligendus esset de humanitate Christi: alioquin ego pariter probabo, B. Virginem fuisse priorem Naturâ productione Mundi: Nam Ecclesia applicat B. Virgini illud Eccles. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum*. sicut ergo hoc non potest intelligi de prioritate Naturæ, sed solum de prioritate finis, ita & ad Hebr. 1. alioquin Christus fuisset prior Naturâ Adamo, quod negant adversarii. Itaque dicendum est cum Cornelio à Lapide, locum illum intelligendum esse de ipso Verbo æterno, per quod tanquam per Idæam omnes rerum gradus & species continentem, & quasi per Sapientiam architectonicam, increatam, omnisciam, & omnipotentem, in qua sunt & vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, fecit, id est, creavit & produxit sæcula,

§. V.

Facilior modus expediendi præsentem difficultatem.

356. Dicamus ergo, quod vnicum superest, non solum existentiam Christi pro omni duratione quam habuit, & per totam æternitatem habiturus est, sed etiam omnia ejus merita fuisse posteriora Naturâ omnibus meritis Progenitorum, quibus aliquo modo influxerunt in ipsam assumptionem humanæ Naturæ, & in ipsam Naturam assumptam: nihilominus tamen illa omnia anteriora merita cum auxilijs supernaturalibus fuisse data in præmium Meritorum Christi, anticipatâ præmiatione, & Christum ea promeritum esse Merito compensativo, jam superius explicato, auctoritate firmato, & nunc magis explicando solutione Objectionum, & quidem post hæc scripta invenio hoc meritum compensativum approbati etiam à Recentissimo & doctissimo scriptore Didaco Avendanno n. 1514. tribuente eandem S. Thomæ 1. 2. q. 114. a. 5. in arg. 3.

Nostram hanc sententiam quidam RR. ideo solum deseruerunt, quod putarint, solum connaturaliter, non item supernaturaliter repugnare, quod id quod est tempore posterius, sit Naturâ prius. Sed hæc non erat causa rejiciendi. i. esto hoc solum probaret nostrum argumentum, id satis esset ad eam tenendam, & præferendam alijs recurrentibus ad monstrosa miracula, cujusmodi est: quod nullus actus supernaturalis influxerit in generationem Christi. Imò sufficeret, quod nostra

nostra sententia gloriosior sit meritis Christi, tribuens illis primum anticipatum ob eorum infinitatem, ut ostensum est. 2. Falsum est, non probari omnimodam repugnantiam illius prioritatis naturæ. Nam de essentia Intentionis est, ferri primò in finem, & de essentia executionis est, prius ponere media; & chymaricum est, adhibere medium sine jam existente. His ergo nihil attentis, alias objectiones referam.

Obicies primò. Meritum compensativum est apud Patres inauditum, & non nisi improprie dictum meritum: ergo hoc genus meriti non rectè, nec satis Theologicè tribuitur Meritis Christi. Pro solutione

Advertendum est, Auxilia Supernaturalia, quæ ante adventum Christi collata sunt humano generi, non habere rationem præmij adequati aut principalis meritorum Christi, sed solum inadæquati, minusque principalis, & quasi præparatorij ad primum principale. Sicut si Princeps adolescenti nobili, spe obsequiorum quibus aliquando in aula est meriturus, dat stipendium ad studia prosequenda, hoc stipendium dici potest primum futurorum obsequiorum, saltem inadæquatum, ita quidem ut adolescens dicere posset Principi (ut multi dicere solent) *tametsi necdum promeritus sim, promerebor tamen suo tempore*. Unde etiam Princeps posset illi postmodum exhibitis meritis dare minus præmij, quod tamen si computaretur cum stipendio accepto, esset præmij adequatè condignum. Ita sanè primum adequatum meritorum Christi, non erant illa auxilia collata antiquis Patribus, quibus poterant de congruo mereri esse progenitores Christi, sed erant præparationes ad merita Christi ponenda, ut deinde Christo conferretur primum principale, nempe Exaltatio Nominis & maxima Gratiarum copia, quæ in Lege nova, hoc est lege Gratiæ, longè affluentius conferuntur, propter actualem existentiam Christi. Et quia gaudium quod Christus ex suis meritis consequitur, & est naturæ posterius ipsis meritis, versatur specialiter circa hoc objectum, quod videat omnium omnino hominum salutem & Beatitudinem sibi deberi, ideo necesse fuit, ut anticipatè & præparatoriè etiam in primum cederet salus antiquorum, & quidquid ad illorum salutem conferebat. Hinc patet, quod merita Christi nec debeant nec possint absolutè vocari, *Merita Compensativa*, sed tantum respectivè ad certam minusque principalem partem præmij: absolutè autem debeant vocari & revera sint merita attractiva seu imperatoria, hoc est habentia prioritatem naturæ quoad primum principale, ad quod obtinendum ordinabantur tanquam Media: nam à principaliore sit denominatio. Nunc ergo ad objectionem.

357. Responderi imprimis posset, negando, quod Meritum compensativum sit improprie dictum meritum. Aliud enim est, quod non soleat regulariter fieri talis præmiatio anticipata,

& aliud, quod sit improprie præmij natura: sicut, licet regulariter Merces sequatur laborem, non est tamen improprie merces, quæ datur ante laborem.

Responderi potest 2. hoc genus meriti esse inauditum apud Patres. Nam teste Ruybrodo, Patres eodem modo sine ullo discrimine dixerunt, primam gratiam Angelorum & primam parentum fuisse ex meritis Christi, & tamen, cum adversarij consentientibus illa prima Gratia non supposuit merita Christi pro priori natura: erat præmij anticipatum.

358. 3. Meritò Patres nullam specialem mentionem fecisse Meriti compensativi, quærita Christi non sunt merita compensativa absolute loquendo, ut ostensum est. Ceterum, si tres voluissent negare, Merita Christi ne quidem respectivè esse merita compensativa, debuerunt agnoscere miraculosum statum (imò chymaricum, ut ego existimo) quem excogitavit Legum ac racula alia, quæ ne quidem suspicati sunt, minus populo aliquid hujusmodi proponere. Denique SS. PP. illud fenserunt, nullum penitus meritum dari apud Deum, quod non respectu licujus partis constitutivæ præmij in ratione præmij, sit compensativum, hoc est supponens partem præmij. Probo autem hoc ex hypothetico: jam satis communis, & in primo libro edita, Deum non moveri ab ullo actu meritorio tanquam præviso ut existente ad decernendum primum, sed decreto prædefinitivo & præsumptivo decernere Meritum & Primum, ordinatum meritum ad primum, propter proportionem quam habet cum illo, dicendo: *Volo mercedem propter primum*. Hoc posito, dici potest, quod ipse actus divinus, qui est essentialiter prior naturæ Merito, sit pars præmij adequati, adeoque sit primum anticipatum. Probo. Affectus præmiantis est pars præmij: illud decretum est actus præmiantis: ergo est pars præmij. Major probatur: quia omne illud est pars præmij, quæ quis propter meritum dignus est: & quod enim habet suam æstimabilitatem specialem: sed merens propter meritum est dignus affectu præmiis: vnde idem nummus aureus quoad valorem intrinsecum, si sit acceptus in primum à Rege, pluris fit in affectu accipientis, quam si sit acceptus in primum à Mercatore. Brevius. Qui meretur primum, meretur illius dependentiam à Merito, meretur enim primum non prævisum in ratione *doni*, sed in ratione *Remunerati*: atqui hæc dependentia præmij à merito est ipsius decretum Dei benevoluntatis: ergo etiam hoc meretur: atqui meritum est illo decreto postmodum tempore & naturæ: ergo tantum meretur illud meritum compensativo.

359. Obijcies 2. Præmium quod daretur propter meritum compensativum, daretur propter meritum merè conditionatum: sed hoc de Deo dici non potest. hoc enim faveret errori Massiliensium, seu semipelagianorum, qui dixerunt, Deum præmiare merita merè conditionatè futura. R. 1. Nostram sententiam tam procul abesse ab errore Massiliensium, quam procul abest sententia Suarezij, Amici, Pallavicini, à quibus solùm differimus reipsa in hoc, quòd illi assignent duplex decretum virtualiter distinctum, Intentionis & Executionis, nos vnum simplex.

R. 2. Errorem Massiliensium fuisse, quòd Deus præmiat merita conditionata nunquam absolute existit, quod nos non asserimus.

360. Obijcies 3. In hac nostra sententia subsistat principium communiter receptum post S. Thomam. Principium meriti non cadit sub meritum, cuius sensus est, quòd id quod est causa meriti, non possit esse præmium illius: atqui in nostra sententia Maternitas B. Virginis esset causa saltem mediata meritorum Christi, & esset etiam præmium illorum: ergo principium Meriti caderet sub meritum. R. Illud principium esse verissimum in sensu quo S. Thomas usus est contra illos, qui admittunt mutam causalitatem inter meritum & præmium, v. g. inter actum Contritionis quo peccator iustificatur, & inter gratiam sanctificantem quam meretur: hoc nos etiam negamus. Cæterum concedimus, posse principium aliquod meriti compensativi cadere sub meritum compensativum tanquam præmium illius, sed absque prioritate Naturæ. Dixi, *Principium aliquod*. non enim de omni principio hoc concedimus: nam suprà excepimus principium dignificans formaliter ipsum meritum, & paulò post aliam exceptionem faciemus.

361. Obijcies 4. Ex nostra sententia sequitur, posse aliquem mereri primam Gratiam prævenientem, seu primam illuminationem: hoc autem est absurdum: quia hoc ipso non haberet rationem Gratia: quod enim datur ob merita, jam non est Gratia. P. Conink de possibili concedit sequelam, neque tamen hinc sequitur, quòd defacto detur in præmium, quia defacto Deus præmiat actus bonos præmio subsequente, adæquantè valorem meriti. Ego autem existimo, nec de possibili hoc fieri posse, ut prima gratia præveniens sit præmium meriti subsequenter compensativi. Ratio mea est, quia de ratione Præmij est, ut merenti conferat aliquid boni ultra totam bonitatem quam in se continet tota bonitas meriti. atqui illuminatio præveniens actum meritorium est vnicè amabilis propter meriti bonitatem, utpote cognitio practica: nec est amabilis nisi in ratione mediij: ergo non videtur posse habere rationem præmij.

362. Obijcies 5. De ratione præmij est, ut reddat ditiores illum qui meretur: ergo debet esse aliquid ultra omne id, quod merens affert de suo: atqui omne quod præsupponitur ad

meritum, affert merens de suo: ergo nihil eorum, quæ supponuntur ad meritum, potest habere rationem præmij. R. Argumentum habere instantiam in mercede anticipatè soluta. Sicut ergo hic distinguendum est, nempe quòd nihil possit habere rationem mercedis quod laborans affert de suo, & non accepit credito, seu intuitu futuri laboris, bene tamen quod accepit credito, & intuitu futuri laboris, ita etiam de præmio dicendum, & distinguendum est.

363. Obijcies 6. Si potest aliquod meritum præmiari pro priori naturæ, tunc dici poterit, quòd Gratia sanctificans, quam quis meretur de condigno, semper detur pro priori naturæ: consequens est absurdum. ergo &c. Minor probatur. Nam talis anticipatio esset miraculosa, & contra Naturam Gratia sanctificantis, quæ quando præcedit pro priori naturæ, ex natura sua dignificat actum ad ulterius præmium, si ipsa jam est data in præmium. R. facile. Si verum est, quod in probatione minoris assumitur, hoc ipso jam patet ratio negandi sequelam, quia actus nostri merentur quidem Gratiam sanctificantem, sed non merentur miraculum.

Hinc autem potest reddi ratio disparitatis inter merita Christi, & nostra merita. Nam etiam si nostri actus supernaturales non possent unquam præmiari anticipatè, inde tamen non valeret consequentia & paritas ad merita Christi. Nam quæcumque implicantiæ afferretur in nostris meritis, illa vtiq; petenda esset ex eo, quòd talis modus præmiandi excederet valorem operis, nec haberet debitam proportionem cum illis, quia esset miraculosus. atqui hæc non procedunt in meritis Christi. Nam merita Christi sunt valoris infiniti, & nullum præmium quantumvis miraculosum, & miraculoso modo datum, excederet valorem meritorum Christi. Imò merita Christi digna sunt, quæ omni modo possibili præmientur. Cùm ergo nulla sit implicantiæ generalis in modo præmiandi anticipatè, hic modus etiam decebat merita Christi, ut aliquid præmij acciperet anticipatè præmiatione. Et ad hoc videntur mihi Patres respexisse, quando meritis Christi tribuerunt dona supernaturalia antiquæ legi concessa; neque unquam inducar, ut credam Patres respexisse ad circulationem illam signorum naturæ contrariantium signis temporum, quæ sine vertiginis periculo vix concipi potest.

364. Obijcies 7. Non possunt duo esse sibi mutuò fructus: atqui præmium est fructus meriti: ergo meritum non potest esse fructus præmij: atqui in nostra sententia etiam meritum esset fructus præmij anticipati, quia esset effectus illius. R. Omnis effectus eo modo & genere causandi est fructus suæ causæ, quo genere est effectus. hinc autem sequitur, quòd tam medium respectu finis, quam finis respectu mediij sit fructus, adeoque semper sint sibi mutuò fructus. Nam medium est effectus finis in genere causæ

T t t 3

finalis,

finalis, & finis est, effectus medij ingenere causae efficientis vel materialis. Est ergo neganda maior propositio objectionis. Sed claritatis gratia distingui potest, in eodem genere effectuum, conceditur: in diverso genere effectuum, negatur maior, & distinguitur minor. Praemium semper & universaliter est fructus meriti tanquam causae efficientis, negatur min. vel tanquam causae finalis, conceditur minor. Et negatur consequentia, vel etiam distinguitur: ergo meritum non potest esse fructus praemij in eodem genere effectuum, conceditur, in diverso genere, negatur consequentia. Et haec sunt quae mihi contra nostram sententiam opponi posse videntur.

365. Placet Coronidis loco apponere argumentum pro nostra sententia, quod saltem ad hominem potest vim habere, nempe contra illos, qui concedunt B. Virginem non solum non incurrisse peccatum originale, sed nec debitum illius: & concedunt praeterea, Christum non fuisse venturum si Adam non peccasset, adeoque nul-

lum Christi meritum fuisse prius naturae peccati Adami, aut pacto inito cum Adamo. Haec suppositis

Argumentor hoc modo. Exemptio B. Virginis à communi pacto facta tunc est, quando ceteri homines fuerunt illo pacto cum Adamo inito comprehensi & inclusi: & quidem hoc exemptio respexit determinatam personam & individuum B. Virginis, alioquin essent in Deo pendenda decreta disjunctiva una cum determinatis, quod nos non admittimus: atqui respectu illius temporis quo facta est hac exemptio & pactum, non habuerunt merita Christi prioritate naturae, ergo illam exemptionem non promeruit Christus merito attractivo seu impetratorio: atqui illi aliquo modo promeruit, quia hoc modo B. Virginem redemit: ergo non nisi merito compensativo, quatenus Deus omnia uno indivisibili decreto ordinavit tandem ad gloriam Christi, in modo quo in primo libro tract. de Prædicatione explicatum est.

CAPUT VIII.

DE SCIENTIA CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

Quenam objecta cognoverit Christus per Visionem Beatam.

Supponendum est in Christo fuisse Visionem Beatam etiam ante resurrectionem. Colligitur ex Jo. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* testabatur autem ibi de Baptismo qui confertur in nomine Sanctissimae Trinitatis. Jo. 1. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quibus verbis excipit Joannes Christum à communi conditione hominum, quibus non est datum videre Deum. Ratio autem est, quia Visio Dei non fuit Christo collata in praemium, sed illi data est tanquam debita Filio naturali: item debebatur illi hereditatis possessio, quia mors Patris non erat expectanda, sicut expectanda est in humana successione. Denique Visio Beata non pendet ullatenus ab organis, nec à speciebus impressis, ac proinde nec impeditur, nec promovetur ab aliqua corporis dispositione: ergo danda erat statim ab initio, ut etiam in hoc Christus excederet Angelos, qui non nisi brevissimo tempore eam caruerunt, quia eam promeruerunt. Nunc

Quaritur, Vtrum Christus per Visionem Beatam cognoverit omnia futura? Negant Ri-

chardus, Bonavent. Scotus, Gabriel, apud Suarez d. 26. l. 3. contra quos

366. Dicendum est 1. Christus videt in Verbo per Visionem beatam futura omnia, in quibus non est specialis repugnancia. Conclusio procedit de illa visione, quae est essentialiter beatificans, hoc est, ostendens omnia primaria attributa Dei. procedit item ex suppositione scientiae, quod Scientia Visionis sit Deo adaequata intrinseca.

Probatum Conclusio. Alijs beatis hoc tribuitur, quod videant in Verbo omnia quae ad gloriam suam pertinent: ergo idem Christo concedendum est: atqui visio futurorum pertinet ad statum Christi, utpote qui erat constitutus in Verbo, Dominus, Iudex & Gubernator omnium: ergo &c.

367. DICO 2. Repugnat, omnia futura videri in Verbo per illam ipsam indivisibilem Visionem Beatam, quae videt primaria Dei attributa. Probatum, supponendo, hanc Visionem esse in Christo directivam actuum moralium, eo quod semper moveat ad amorem Dei aliarumque virtutum & actus perfectos exercendos, quamvis diversis